DIE XIX. JULII

IN FESTO

S. VINCENTII A PAULO CONFESSORIS

Introitus

Pauperes Sion saturabo panibus: Sacerdotes ejus induam salutari, et Sancti ejus exultatione exultabunt.

Memento Domine, David: et omnis mansuetndinis ejus.

Psalm. XXXI, v. 15.

Gloria Patri. Pauperes.

Oratio

Deus, qui ad salutem Pauperum et Cleri disciplinam, novam in Ecclesia tua per Beatum Vincentium familiam congregasti: da, quaesumus, ut eodem nos quoque spiritu ferventes, et amemus quod amavit, et quod docuit operemur. Per Dominum.

Lectio Epistolae B. Pauli Apostoli ad Corinthios. *I. Corinth. I, v. 26.*

Videte vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed qnae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.

Graduale. Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

℣. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus: Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.

Alleluja, Alleluja. ℣. Quam pulchri snper montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, Allelnja.



Post Septuagesimam, omissis Alleluja *et* ℣. *sequenti, dicitur Tractus.*

℣. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.

℣. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

℣. Jucundus homo, qui miseretur et commodat; disponet sermones suos in judicio, quia in aeternum non commovebitur.

Tempore Paschali, omittitur Graduale, et eius loco dicitur, Alleluja, alleluja.

℣. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, Alleluja.

℣. Exite de medio Babylonis, mundamini qui fertis vasa Domini, Alleluia.

✠ Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum. *Matth. IX, 35.*

In illo tempore: Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in Synagogis eorum, et praedicans evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Offertorium

Inclinet Dominus Deus noster corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata eius, et caeremonias ejus, et judicia quaecumque mandavit patribus nostris. *III, Reg. VIII, v. 58.*

Secreta

Deus, qui Beato Vincentio divina quotidie celebranti mysteria tribuisti quod tractabat imitari: ejus, nobis, precibus indulge, ut immaculatam Hostiam offerentes, ipsi quoque in holocaustum tibi acceptum transeamus. Per Dominum nostrum etc.

Communio

Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum, quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.

Postcommunio

Coelestibus, Domine, refecti Sacramentis, quaesumus, ut ad evangelizantem pauperibus Filium tuum imitandum, Beati Vincentii sicut exemplis provocamur, ita et patrociniis adjuvemur. Per eumdem Dominum etc.